

eo quod Spiritus Sanctus ibi reuelat ipsum Melchisedech, quod fuerit sacerdos: Et „fuit“ (inquit) „Sacerdos Dei altissimi.“³⁰³ Non oblatio panis et vini, sed sacerdotium Melchisedech est figura sacerdotii Christi. Huc respexit Daud in Psalmo, cum inquit: „Tu es sacerdos in aeternum“ (non dicit: „Tu 5 offe-[149:]res in coena panem et vinum“) „secundum ordinem Melchisedech.“³⁰⁴ Huc Epistola ad Hebraeos, quae cum hanc figuram copiose tractet, pie totum septimum caput, ne semel oblationis per panem et vinum, imo neque panis et vini mentionem facit, ut quisque facile intelligat figuram.³⁰⁵ Melchisedech ad Missam trahi non posse, cum totum illud caput ad Hebraeos ne unum Iota de sacramento coenae Christi contineat. Sed hoc vult: quod 10 Christus non est Sacerdos Leuiticus aut legalis, sed Sacerdos aeternus in dextra Dei, interpellans pro nobis. Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, id est, Sacerdos liber, qui sine lege iustificet et gratis suscipiat peccatores, propitiatorium nostrum,³⁰⁶ thronus gratiae,³⁰⁷ aduocatus apud patrem,³⁰⁸ Sacerdotium Christi aeternum, in quo benedicerentur omnes cognationes 15 terrae,³⁰⁹ urget Epistola ad Hebraeos contra sacerdotium Aaronis seu legale; ne unum verbum facit in eo capite de coena Domini, nedum de satanico Missae priuatae seu incruenti sacrificii commento. Quod autem Patres allegant passim figuram Melchisedech de oblatione panis et vini, non habet alium 20 intellectum quam eum, qui supra expositus est de vocabulo oblationis, qualiter apud Patres, quando de coena Domini loquuntur, usurpatur. Sed hoc manifestum est, quod Patres nunquam intellexerunt [150:] (sicut neque intelligere deberent), nec interpretati sunt figuram Melchisedech de priuata Missa seu de sacrificio pro viuis et defunctis, quod in eum usum (vel abusum 25 potius) panis et vinum offerrentur, alioqui Patribus omnibus vel sola Epistola ad Hebraeos opponeretur, a qua si dissentiunt, eos cedere oportet iuxta canones diui Augustini, conferentis sacram Scripturam cum scriptis sanctorum Patrum.

Quod igitur liber dicit³¹⁰ Christum se obtulisse in coena sub speciebus panis et vini, neque ex sacra Scriptura neque ex Patribus probari potest, sed humanum commentum est.

Similiter quod sacramentum fidelibus datum offerri in Ecclesia constituerit, nullum in Scriptura fundamentum habet. Si enim talis esset Missa, qualem liber Interim eam fingit esse, non reiiceretur tanto piorum hominum con-

³⁰³ Gen 14,18.

³⁰⁴ Ps 110,4.

³⁰⁵ Vgl. Hebr 7.

³⁰⁶ Vgl. Röm 3,25.

³⁰⁷ Hebr 4,16

³⁰⁸ Vgl. I Joh 2,1.

³⁰⁹ Vgl. Gen 12,3.

³¹⁰ Vgl. Augsburger Interim XXII, 113: „... sic Christus ecclesiae suae mundam et salutarem corporis et sanguinis sui oblationem sub speciebus panis et vini commendavit ...“